

præ altera majorem ignorantia gradum supponit. Hoc autem superstitionis malum vix occupabit mentes eorum, qui vires rerum creatarum bene perscrutantur, nec prius effectum alicui cause attribuunt, quam nexum inter causam & effectum clare perceperint. Proinde ad quaestionem, quam alii ventilant: *quenam hominum species ad superstitiones opiniones naturaliter sit maxime proclivis?* respondemus, quod, quia superstitio dependet ut plurimum a potentiarum naturalium ignorantia, omnes homines, quacunque mentis proensione aut corporis temperatura sunt praediti, superstitiose sentire possint, quamdiu rerum ignorantia laborant. Sed semel ex ignorantia conceptas opiniones superstitiosas retinent omnium maxime, in quibus *metus* dominatur.

§. 5. Porro eruditi comparationem inter atheismum & superstitionem instituunt, & ex illis *Baco de Verulamio* ac cum hoc *Bayle* & *Tolandus* pronunciant.

I. quod superstitio stolidior & pejor sit atheismo.

II. quod atheismus sit stultitia ingeniosa; & sic atheum comparant cum *simia*, quæ aliquid cum humanitate, aliquid cum bestiis commune habet.

III. quod superstitio sit stultitia absurda; hinc superstitiosum porco assimilari statuunt, qui ne quidem ad sagacitatem animantium excitatoris indolis assurgit. Enim vero & atheismus & superstitio contrariantur *veritati*, atque sub hoc respectu pari passu ambulant. Porro atheismus virtutem plane tollit, superstitio tantummodo  
eam